

solum *abstracti*, an potius ipsos *terminos abstractivos*, imo & rem sub iis comprehensam & designatam. Si enim prius, quare soli *termino abstracti* adeo infensus sit, & non perinde *termino concreti*, causam non videmus, cum parem habeant respectum. Si autem posterius, uti nihil circa vocabula difficultatis erit, dummodo res ipsa concedatur, ita, ubi res negatur, vicissim nihil intererit, si vel maxime vocabulum adhibeatur, dummodo aptum sit, omnium consensu, ad rem exprimendam. De re tamen, nimirum Christo secundum humanitatem competere majestatem seu *ἀουχίματα* communicata, speramus, Eum non dubitare, sed credimus potius vera esse, quae de *arcto consensu suo cum doctrina Ecclesiae nostrae* pronunciat. Odium igitur in *vocabula sola abstractiva* directum ponamus, quod tamen itidem nullo modo legitimum est, cum argumenta allata causas sufficientes in se non contineant. Quin potius ipsa hujus mysterii sanctissimi indoles evidenter docet attendentem, illud *sufficienter absque talibus terminis*, neque ex verbo illi *proponi & accurate demonstrari*, neque etiam, prout par est, *defendi* posse. Vnde non miramur, sicubi legimus vel audimus, *Reformatos de horum terminorum usu conqueri*, cum probe animadvertant, illos recte acceptos & explicatos vere esse terminos, seu limites, Controversiarum, & certas velut metas ac stadia constituere, intra quae utraque pars certantium se contineat. Quod oppido illis durum est, utpote quibus commodius censebitur, omnia generalibus vocabulis & conceptibus involvi ac comprehendi, sub quibus utraque pars latere queat. Eo vero magis mirum, in tanta Evangelii luce, quae orbem circumfulget, displicere hos terminos discretivos cuiquam ex nostratibus posse.

§. III. Ibo vero brevius per singula, quae Allocutori molesta videntur. Primo ipsi *nulla necessitas in his terminis apparet*. Etsi vero, ut dictum, alibi se non satis explicet, de quibus terminis ex instituto loquatur, in hoc tamen Alloquio tum de

D

ipso